

facietis Iudic. VII, 17. Reuerſi cum eſſent ex Babylonis cuſtodiis ad murorum reaedificationem Iudaei, vna manu faciebant opus, altera tenebant gladium Nehem. IV, 17. cuiusuis ſic Chriſtiani eſt, & officii leges ſeruare diligenter, & paratum eſſe ad pugnam. Quis vnquam Sanctorum (verba ſunt HIERONYMI) ſine certamine coronatus eſt? Solus Salomon in delitiis fuit, & ideo forſitan corruit. Nos omnes poſt emortualem diem aeternitatis diademate condecorari vouemus: aſt quomodo coronari poſſumus, ſi non ante vicerimus? corona iſta promittitur tantum & datur fidelibus vincentibus, Apoc. III, 11. 12. quomodo de reportata victoria gloriari valemus, ſi non praeeſſerit pugna? quae eſſet pugna, ſi deeſſent hoſtes? qui hoſtes, ſi omnia in vniuerſum arma demta iſtis eſſent? Redditur virtus exercita glorioſior. Sunt praeterea aliae, quas continua haec piorum exercitatio ſecum affert vtilitates: ad preces quippe ardentiores exſtimulamur: a mundi amore abſtrahimur, ac coelum anhelare diſcimus: fides & conſtantia noſtra explorantur, non quidem Deo, ſed ſeculis in notitiam proferendae: ne in peccata incidamus, coercemur, ac denique arrogantia impeditur 2. Cor. XII, 7. Egregie hinc AVGVSTINVS Libr. XVI. de Civit. Dei, cap. XXXII. p. m. 1050. *Plerumque aliter animus humanus ſibi ipſi innotescere non poteſt, niſi vires ſuas ſibi non verbo, ſed experimento tentatione quodammodo interrogante reſpondeat: ubi ſi Dei munus agnouerit, tunc pius eſt, tunc ſolidatur firmitate gratiae, non inflatur inanitate iactantiae.*

§. VI.

Quamuis igitur omnibus omnino mortalibus affiduum pacis ſtudium commendat Paulus, ſalutare tamen addit monitum: *εἰ δυνατόν, τὸ ἐξ ὑμῶν*, Rom. XII, 18. Iam vero in nobis non eſt, de veritate coeleſti vel quicquam remittere, aut permittere, vt gloriae diuinae tantillum etiam derogetur. Vnde cum Pſeudodoctores eccleſiam

Chriſti